DISSERTATIO HISTORICO-EPISTOLARIS AD CL. VIRUM JACOBUM...

Giuseppe Benvenuti, Gerhard : van Swieten

DISSERTATIO
HISTORICO-EPISTOLARIS

AD CL. VIRUM

JACOBUM BARTHOLOMÆUM
BECCARIUM

Qua Epidemicæ Febres in Lucensis Dominii quibusdam Pagis grassantes describuntur;

NEC NON

Mercurii, atque Corticis Peruviani usus in earum curatione recto rationis examini subjicitur; physicorum tentaminum ope, remedii utriusque viribus exploratis.

A JOSEPHO BENVENUTO
LUCENSE

EX NOBILIUM VIRORUM
Jussu in
SERENISSIMA REPUBLICA
Sanitati servandæ Consulentium, Ægrotantibus curandis destinato, conscripta;

Atque
NOBILIBUS IISDEM VIRIS
DICATA.

Accedunt sub finem cl. Virorum JOSEPHI XAVERII BERTINI, atq. JOSEPHI VALDAMBRINI ad Auctorem epistolæ, maxime ad rem attinentes.

LUCÆ Typis Josephi Salani 1754. *Sup. Permissu.*

ILLUSTRISSIMIS DOMINIS,

NOBILIBUS VIRIS,

IN SERENISSIMA

LUCENSI REPUBLICA

SANITATI SERVANDÆ

CONSULENTIBUS

JOSEPHUS BENVENUTUS
S. D.



Quod in more poſitum eſt, Illuſtriſsimi Viri, ut ſi quid typographiæ beneficio publici juris fiat, id ſub præclaro alicujus nomine primum appareat, recte, atque

ordine factum esse, & Vos agnoscetis, neque hujusmodi rei caussam deesse: nam qui sic assolent, ii vel suis querunt operibus patrocinium, vel obsequentis animi significatione accepta beneficia testantur. Quæ cum ita sint, habetis jam, Nobiles Viri, quid mihi in mentem venerit, cum dissertatiunculam hanc, qualiscumque illa sit, typis evulgaturus, eam voluerim sub Amplissimo vestro nomine apparere. Audaciæ quippe notam effugere nequirem si illam nullo eloquentiæ colore ornatam, vestris oculis subjicere auderem eo animo ut aliquid mihi tribuerem, optime intelligens quam exiguum in me sit ingenium, quamque mihi incompta eruditionis suppellex; quamob-

rem cum authoritate veſtra mihi jampridem demandatum fuerit ut morbo Coloniora pagum ſporadicè infeſtanti mederer; modo vero ut Brandelii incolarum epidemicè ægrotantium curationem ſuſciperem, agnovi quidem plus mihi oneris imponi, quam ferre poſſem; ſed cum ab hac veſtra voluntate (a maxima qua præditi eſtis erga ſubditas gentes pietate, atque commiſeratione, proficiſcente) mihi liberum non eſſet diſcedere, ingenii mei imbecillitate neglecta, conatus ſum ut mandatis veſtris felici eventu obtemperarem: quod quidem cum mihi haud improſpere contigerit, e re eſſe putavi methodum qua morbo huic profligando uſus ſum exponere, ſpe illa ſuffultus ut opuſculo huic nomi-

ne Veſtro ornato in lucem prodeunti, tantum authoritas veſtra decoris reſtituat, quantum authoris tenuitas detraxit. Id me poterat duntaxat ab uſurpando Ampliſſimo Veſtro nomine deterrere, ne ſcilicet Vobis gravisſimis curis undequaque diſtractis negocium aliquod faceſſerem; at cum id ſerio animo perpendisſem, quidpiam a voluntate veſtra non alienum geſſisſe exiſtimabam; compertum etenim ſatis habebam qua humanitate eos omnes excipiatis, qui hominum valetudini conſervandæ ſtudio incenduntur, quaque ſingulari benignitate, veroque paterno amore ſubditas Vobis gentes inopia, vel morbo oppreſſas proſequuti ſitis, cum opem Veſtram expoſtularint; quod merito in-

ter potiſſima quibus eminetis animi ornamenta plerique adnumerant, & admirantur, cum ex eo Principis clementia, Dominii fœlicitas, & populorum ſalus emergat. Quod reliquum eſt illud enixe oro, atque obteſtor, ut eadem ipſa ſuavitate qua omnium Vobis devincitis amorem, hanc meam, rudem licet, exilemque lucubrationem benigno vultu excipiatis, hoc ſaltem nomine quod teſtimonium exſtare volui obſequentis erga vos animi, ſtudii, atque obſervantiæ meæ. Incolumitatem denique veſtram D. O. M. conſervet, vobiſque omnia fortunet, ut Lucenſium populorum incolumitati diutius vivatis.

DE EPIDEMICIS FEBRIBUS

In Lucenſis Dominii quibusdam Pagis graſſantibus

DISSERTATIO HISTORICO-EPISTOLARIS

AD CL. VIRUM

JACOBUM BARTHOLOMÆUM BECCARIUM.

Tametſi (Vir eruditiſſime) quotidie Te ſciam in litterariis occupationibus expediendis multum operis inſumere, duo nihilominus epiſtolam hanc meam febrium quarumdam epidemicarum hiſtoriam, atque curationem complectentem, ut Tibi conſcriberem, vehementer impulerunt. Summa in primis Doctrina, qua mirifice exornaris, quæ ſuo quodam jure illos omnes videtur allicere, qui merito eam excolunt, & admirantur; ſimulac humanitas illa, qua me prorſus immeritum excepiſti, cum Bononiam olim perrexerim, obſervantiæ erga Te meæ officia perſoluturus; nullum profecto tunc prætermiſiſti officii genus, in quo ſingularis erga me benignitatis tuæ teſtimonium non eluceſceret: benevolentiæ vero tuæ conſtantia ab omni parte emicat in ſingulis,

quas abs Te litteris accepi, cum oraculum tuum, ingenii perſpicacia, ac longævo artis uſu præſtantiſſimum, in ambiguis mihi, ac difficillimis rebus conſulere opus fuerit, ſæpius fortaſſe ob diſcendi deſiderium importuno. De hoc vero gratus memini, ac numquam obliviſcar, tantumque Tibi debere profiteor, quantum neque verbis, neque re ipſa ſatisfacere me poſſe arbitrer. Hæc ſunt, Beccari doctiſſime, quæ me ita Tibi addictum reddidere, ut gloriæ tuæ amplificandæ aſſidua cupiditate exardeſcam. Ignoſcas igitur quæſo ſi opuſculum hoc meum, quodcumque illud ſit, Tibi dirigere audeam avidus expoſtulans judicium ſuper hoc tuum; Ingenii etenim mei tenuitatem optime perſpectam habeo, ſed ubicumque lapſus fuero ſapientiſſimam cenſuram tuam libenter paratus ſum amplecti. Ad rem interim deveniam,

INeunte Auguſto anno nuper elapſo 1753. Oppidi cujuſdam incolæ in Lucenſi Ditione poſiti (quod nuncupant *Brandeglio*) enixe deprecabantur Nobiles Viros ex Reipublicæ authoritate ſanitati ſervandæ deſtinatos, ut quamplurimis eorum conterraneis, gravi, diuturnoque morbo vexatis, jamdudum inter illos exorto, lateque diffuſo auxilium ferre non dedignarentur. Quamobrem Dominorum animi expoſitis precibus commo.

mo.

moti, confestim, pro ea qua præditi sunt clementia, pecuniam ex publico ærario depromptam in victu comparando erogari decernunt, ne quidquam ad optimam ægrotantium nutritionem deficeret, mihique identidem imperant, ut ad Brandelii pagum contenderem, ac de languentium numero, deque morbi qualitate, & natura Nobiles eosdem Viros certiores redderem. Supremo ut satisfacerem jussui statim ægros invisi, quorum numerus sexagesimum tertium æquabat, quindecim tantum exceptis, qui quamquam pro valetudinariis haberentur, aliqua attamen morbosæ recidivæ indicia præseferebant.

II. Symptomata singula quæ morbum comitabantur, ab eadem causa progenita existimabam, magis quamvis, vel minus vehementia, prout in initio, statu, aut declinatione morbus reperiebatur. Capitis dolor gravativus, anxietas, nausea, lassitudo, sitis; dextri præcipue hypocondrii tensio, rigores interdiu per corpus universum, pulsuum depressio, & frequentia, urinarum color in aliquibus albus aquæ instar pellucidus, in aliis rubedine saturatus, præcipua erant symptomata sub initium febrim hanc comitantia. Sequebantur in aliquibus exanthemata purpurea, vel livescentia, plus minusve confluentia, citius, tardiusve apparentia, juxta ægrorum ætatem, corporis habitum, atque

morbosi fomitis robur; in aliquibus enim tertio a decubitu die, in aliis quarto, numquam post septimum erumpebant. Ingravescente morbo faucium, & linguæ ariditas, auditus depravatio, delirium, lethargus, convulsiones succedebant, arteriis interim debili, inæquali, contractili, ac non semel intermittenti diastole micantibus.

III. Non autem singulis ægrotis eadem symptomata communia erant, tam in morbi accessione, quam in ejusdem progressu; sed varie se habebant in quamplurimis, pro varietate circumstantiarum quæ morbo sociabantur; in aliquibus enim febris in ipso exortu tertianæ simplicis, vel duplicis typum perfecte servabat, quæ cæteroqui post tertiam, quartamve accessionem (quandoque post primam) in continuam convertebatur, non tamen acutissimam, nulla prorsus remanente periodi lege, aut subintrantia. Superveniebat interdum diarrhæa, ut plurimum serosa, aliquando subcruenta, una cum enarratis superius gravioribus symptomatibus, ac demum parotides. In aliis vero febris ipsa nullo prævio rigore insurgebat, horrescentibus tamen interdiu ægris post secundam, vel tertiam morbi diem, cum sudore quodam frigido per universum corpus, præsertim vero circa frontem apparente.

IV. Gravius potissimum ægrotabant, &

peri-

periclitabantur, qui nullis expertis medicæ artis auxiliis, quin potius ſpretis, ſeſe quaſi caſui committebant, a recta laudabilis victus methodo aberrantes. Quamplurimos ægros Cucumere ſaturatos reperii ſpe illa deceptos, crebro hujus eſu febrilem ignem compeſcere poſſe, cum viceverſa ab ejusdem ingeſtione putreſcentis virulentiæ fomes in humoribus adaugeretur.

V. Præ reliquis quæ in hujusmodi morbo notatu digna animadverti, id unum fuit, quod languentium aliqui, qui tertia, vel quarta morbi die, largam ſatis narium hæmorrhagiam patiebantur poſt ſeptimum a decubitu diem, notabiliter morbo levari viderentur, atque promptiorem ejusdem ſolutionem nanciſci; cum alii quidam, quibus eodem ferme modo ſanguinis per nares liberalis effluxus contingebat, in deterius potius prolaberentur, nullo levamine percepto.

VI. Cæterum epidemicus iſte morbus facilius mulieres quam Viros invadebat; juvenibus quoque plethoricis, atque athletico habitu donatis, magis familiaris erat quam Senibus, necnon gracili præditis conſtitutione, quos tamen ſi adoriebatur diutius detinebat; aliquos enim horum febre adhuc laborantes nactus ſum ad quadrageſimum uſque protracta.

VII. Nullus Ægrotantium initio morbi

oc-

occubuit, quemadmodum in perniciosis aliquibus febribus, etsi intermittentibus accidisse comperimus, utque Cl. Vir. Franciscus Torti contra Hippocratis monitum observavit (*a*) *Porro* (ait Auctor) *febres periodicæ perniciales, vel tales sunt ut perseveranter intermittant, efferamque naturam suam tantum prodant immani quopiam, & peculiari symptomate febrilem paroxismum comitante, cujus ferociam minime tollit intermedia quies, quæ cæteroqui securitatem ex Hippocrate pollicetur*. Qui autem vel in statu, vel declinante jam morbo ad exitium properabant, aliquo ante obitum spatio loquela destituti, profundoque lethargo oppressi decumbebant; in iis e contra quos a morbi sævitie liberari contingebat, perfectæ alicujus criseos indicia non observabam, verum diu vacillantes, torpidi, ac enerves, lenta satis, atque diuturna convalescentia, gradatim vires recuperabant. Duodecim ægroti, grassante morbo sublati sunt, quos inter juvenes præcipue mulieres occubuere.

VIII. In tam ancipiti rerum statu, cum de morbosæ causæ investigatione valde sollicitus essem, animo intente advertebam quidquid ad illam detegendam conduceret. Nec sane a veritate dissonum mihi visum est hujus-

(a) *Therapeut special. lib. 3. cap. 1.*

jusmodi febres perniciosarum nomine appellare, atque ad genus idem remittentium simul, ac intermittentium illas reducere, quas cl. Torti accuratissime describit, (*a*) & ante ipsum viri sapientissimi Ludovicus Mercato, & Richardus Morthonus adnotarunt.

IX. Ut vero luculentius morbi naturam scrutarer, quadragenariæ cujusdam defunctæ mulieris corpus aperiri curavi, ut in singulis cavitatibus contenta viscera, anatomica perquisitione explorarem, num aliqua peculiari labe inficerentur. Decima sexta morbi die morte sublata est mulier ista, quæ, dum ægrotaret, gravioribus jam antea descriptis symptomatibus detinebatur. Totum ejus Cadaver, magis autem abdomen inflatum erat, atque distentum, epidermide alicubi livescentibus maculis fædata, ac elevatis vesiculis eodem ferme colore tinctis conspersa, quæ si anatomico cultro perforarentur, nigricantem lympham, graveolentem admodum effundebant.

X. Secto a Chirurgo atque avulso cranio, meninges inflammatas observavimus; in sinu quoque longitudinali polyposam concretionem; in ventriculis vero Cerebri, extravasatam lympham sanguine conspersam adinveni-

(a) *Therapeut. special. lib.* 3. *cap.* 1.

venimus. In Thoracis cavitate ſingula viſcera a naturali ſtatu variata haud reperimus, corde ſolum excepto, quod mole magnopere adauctum erat, flaccidum, atque concreti ſanguinis copiam in ſuis cavitatibus occludens. Abdominis aperta cavitate viſui ſe obtulerunt ventriculus, & inteſtina præter modum inflammata; Colon vero ad necroſim vergebat; Meſenterium totis in ſuis partibus obſtructum; Hepar omnino Sphacelo corruptum. Reliqua viſcera parum a naturali ſtatu deſciſcebant, quamquam ſingula leviter forent inflammata. In inteſtinorum cavo ſtabulantium vermium copiam (uti opinabamur) neutiquam nacti ſumus.

XI. Mulierem deſcriptam, nemo non agnoſcet ab univerſali inflammatione, quam gangræna ſequebatur, ac in aliquibus viſceribus jam irrepſerat, necatam fuiſſe. Minime autem quod in cadaveris ſectione repertum eſt a præconcepta ſententia me removit, quin magis in illa confirmavit. Scimus profecto hujus generis febres, præſertim cum ſpretæ fuerint, ut in caſu noſtro accidit (Fœmina enim iſta, ut ut nono die ægrotaret, in lecto collocari noluit, neque debito tempore Medici auxilium expoſcere, ſed decumbenti filio graviter morbo detento, maternam opem ferre, aſſidue, ut antea fecerat, perſeveravit) viſcerum ſemper inflammationes

pro-

progignere, quæ demum in gangrænam aliquando universalem abeunt. Si etenim arteriarum extremitates obstructas considerabimus, patebit illico inflammatoriis morbis occasionem non deesse, quibus præsentibus, gangrænæ periculum imminet. Quamplurimi sunt Authores qui in humanis corporibus perniciosa febre extinctis, idipsum observarunt, inter quos recensere sufficiat Forestum, (*a*) Diemerbroeckium, (*b*) Bartholinum, (*c*) præ cæteris vero Fridericum Hoffmannum, qui sequentibus verbis relatas sententias confirmat (*d*). *Quos pestilentia, & febres malignæ tollunt, in his ventriculus, & intestina nusquam non sphacelata conspiciuntur.* Et magnus Boerhaavius, ejusque eruditissimus commentator Gerardus Van Svvieten. (*e*) *Cum ergo per febrim possit sic depravari liquidum naturale ut vasa vitalia obstruat, non mirum, inflammationem a febre, ut causa, nasci posse: verum natam inflammationem sequi possunt varii ejus exitus, nempe suppuratio, & gangræna.* Quæ igitur viscera in extinctæ hujus mulieris corpore inflammata, gangræna, vel spha-

(a) *Lib. 6. obs. 613.*
(b) *Anatom. univ. pag. m. 273.*
(c) *Cent. 3. hist. 68. & Cent. 5. obs 4.*
(d) *Med. rat. syst. t. 3. sect. 1. cap. 17. §. 23.*
(e) *Comm. in Boer. aph. §. 592. pag. m. 294.*

celo corrupta reperimus, non quidem pro febrium causa, sed veluti earum effectus habenda erant.

XII. Rebus interim ita se habentibus, antedictis Nobilibus Viris ægrotantium numerum, morbi naturam, causas, & symptomata litteris exponebam, simulac pharmaca indicans ad morbi sævitiem compescendam opportuna. Ipsi autem de re negocii plena valde solliciti præscripta pharmaca imperant publico ære comparari, ægrotantibus propinanda, litteris eodem tempore datis Nobili Viro Dominico Alexio Bondacca, Lucensium Balneorum, & Vallis Limæ Gubernatori vigilantissimo, ut illorum mandata super hac re exequi curaret.

XIII. Cur autem adversus tantum Brandelii incolas morbosa ista constitutio grassata est? Quænam ipsius primaria, atque proximior causa fuit? Haud quidem ignoro epidemicorum morborum originem, & communicationem ab aeris præsertim inquinatione repetendam esse, ut sententia fuit Hippocratis: (a) *Quando ab uno morbo multi homines corripiuntur eodem tempore, causam ad id quod communissimum est, & quo maxime omnes utimur, referre oportet. Est autem hoc spiritus, & aer, quem inspirando trahimus.* Et

§. 19.

(a) *Lib. de Nat. hum.* §. 18.

§ 19. addit. *Quum unus morbus populariter grassatur, manifestum est diætam non esse culpabilem, sed quem trahimus spiritum in causa esse, & palam est eum ipsum spiritum morbosam aliquam exhalationem habere*. Idipsum inter recentiores sentit Thomas Sydhenam: (a) *Acutos quod spectat*, (ait Auctor) *quos impresentiarum tractare mihi est animus, eorum alii a secreta, atque inexplicabili Aëris alteratione, hominum corpora inficientis gignuntur, neque a peculiari sanguinis, & humorum crasi omnino dependent, nisi quatenus occulta aëris influentia dictis corporibus eamdem impresserit. Hi durante arcana illa aeris constitutione nec ultra pergunt lacessere, neque alio ullo tempore invadunt*.

XIV. Quid igitur ipse conjicere valeam circa hujusmodi morborum originem, si cl. Sydhenamius eam funditus non explicat, quin potius *arcanam* expositis modo verbis appellat? In aerem nihilominus a doctiss. Viro epidemicorum morborum origo confertur; ipse autem causam haud animadverto quæ Brandelii cœlum aliquam insalubritatis notam præseferre ostendat, præter illam a Medico quodam relatam, cum idem & amicus meus de morbi hujus natura & causis colloquerentur. *Brandelii febres* (ajebat iste)

B 2 *pu-*

(a) *Observ. medic. sect. 1. cap. 1. pag. 36.*

putridæ sunt, ab imperfecto pagi illius, atque corrupto aëre progenitæ; ideo mihi haud recta methodo curanti, quin potius ægrotantibus noxia pharmaca præscribenti maledicebat, in Torti Therapeutice, atque in Lancisii Operibus forsitan hospes.

XV. Ut autem philosophus iste resipiscat aliquando, rationes aliquas obiter tantum afferam, quæ Brandelii cœlum ab omni labe prorsus immunem ostendant. Et quidem unicuique ut ut philosophicas res primoribus labiis attigerit, notum erit infectionem aeris aliunde quam ex seipso repetendam esse cum perniciosus evadit, quemadmodum opinatus est doctiss. Halesius: (*a*) *Il n' est donc pas etonnant que l' air s' altere, & cause par son infection plusieurs maladies dans les lieux où on le tient renfermè, comme dans les prisons, ou non seulement la respiration, mais la transpiration de plusieurs personnes renfermees infectent l' air &c.* Brandelii autem in pago, in sublimi montis apice posito, palustres aquæ, stagnantes, cænoque refertæ haud mehercule existunt, ex quibus vitiosi halitus in atmosphæram efferantur, ipsamque labefactando corrumpant. Neque aliunde ad oppidum istud ventorum impetu accedente, contagiosis halitibus aditus patet, nam præter

(*a*) *Statiq. des Veget. append. pag.* 324.

ter quam quod nulla extent paluſtria loca, quæ longo fere duodecim milliarium intervallo ab eodem non abſint; ſi cominus etiam forent, optima aeris temperies nocentium ventorum culpa neutiquam inquinari poſſet, montibus ſcilicet, quibus undequaque pagus iſte circumcingitur, vehementibus eorumdem incurſionibus contranitentibus.

XVI. A veritate attamen haud qnaquam diſſonum eſt, quod cl: Hermannus Boerhaave ſcribit, (*a*) ventorum ſcilicet vi, atque impulſu contagioſa quædam corpuſcula, inſecta, plantarumque ſemina ad montium usque altiſſimorum cacumina, ſublimiorumque turrium faſtigia, asportata fuiſſe; verum cum ex ſolertiſſimi Varenii obſervationibus (*b*) non longius quam ad quatuor milliarium diſtantiam iſtiusmodi halitus ventorum ope impelli poſſe deprehendamus: *Circa inſulas* (ait ille) *Oceani Indici, aer fragrans odore aromatum, præſertim tempore illo ubi matura ſunt. Eum odorem nautæ percipiunt cum adhuc tribus, vel quatuor etiam milliaribus abſunt ab iſtis Inſulis; nimirum flante vento eorum itineri oppoſito*: Quomodo ad Brandelii aerem labefactandum pervadere poterunt, cum longo plusquam duodecim milliarium ſpatio paluſtria loca remota ſint? XVII.

(a) *Elem. chem. part. alt. pag. m.* 243.
(b) *Geogr. general. pag.* 249.

XVII. Concedamus autem infestis ventis, australibus præsertim, vitiatis halitibus onustis ab Oppidum istud accessum: quid proinde funesti contingeret? nil plane; licet enim æstiva, vel autumnali tempestate perflarent (ut raro evenit) quo potissimum tempore paludum atmosphæra inficitur; antequam ad nos pervenirent, ex longo itinere atque aeris commotione, morbosa effluvia ab invicem sejuncta, obtrita, atque in nihilum, ut ita dicam, redacta, minime forent nocitura, ut de Ostiensibus, procul Roma positis paludibus sentit Lancisius: (*a*) *Auster igitur, qui per paludes mari proximas, arenosumque littus transit, non maligna effluvia, ut vulgus putat, Romam usque secum asportat, sed terrestri ipso in itinere, interjectis etiam collibus paulatim dimittit; habent enim certum, ac determinatum itineris spatium miasmata, quæ ex cænosis aquis traducuntur*

XVIII. Allatis rationibus alteram adiiciam ex physicis desumptam, quæ cæteris haud parum favere videtur. Norunt enim philosophi exhalationes, ac vapores, qui ex terræ superficie in atmosphæram sublevantur, ope crassioris aeris subincumbentis ascendere, quousque ad strata illa deveniant,

quæ

(a) *De Silv. Cist. conf. n.* 5.

quæ ſubtiliorem ipſis aerem includentia, ſublimius propellere nequeunt, itaut in æquilibrato eorum gravitati aere diutius permanerent, niſi ex connexione graviores redditi, deorſum iterum decidere cogerentur. Licet igitur ex imis, procul poſitis paludibus, infenſa effluvia ad Brandelii pagum propellerentur, aerem nihiloſecius afficere nequirent; cum enim eo loci puriſſimus ſit, atque ſubtiliſſimus, ſuſtinendis ideo gravioribus pernicioſis halitibus minime aptus foret. Oppidum vero iſtud tenuiſſimo aêre præditum eſſe, ſatis demonſtrat eminens ejusdem ſitus, ex quo præcipua purioris aeris nota depromenda eſt, ut teſtatur Muſschembroeckius, [*a*] utque Barometrorum uſu percipimus.

XIX. Non minus quandoque labefactatur aer, atque infectus evadit, cum ejus motus imminuitur, aut præpeditur. Hac vero de cauſa Oppidi noſtri cœlum numquam profecto contaminari poterit; nam præterquamquod ex cl. Boerhaavii ſententia, non ita facile quieſcat aer, ut ex illius verbis deducitur: [*b*] *Nonne apertum erit aerem numquam quieſcere, ſed moveri in omnibus ſuis partibus agitatione perpetua, qua & ultimæ hujus particulæ continuo oſcillant? eritque hoc ve-*

(a) *Elem. phyſ. cap.* 41. §. 1119.
(b) *Elem. chem. exp.* 3. *corol.* 5.

verum æque in illo, qui solo atmosphæræ incumbentis pondere coercitus, apertus vocatur, quam in illo ipso, qui vasis clausis penitus continetur: multo magis Brandelii atmosphæra agitabitur a borealibus ventis; mons enim ille, in cujus summitate Oppidum situm est, ea adamussim parte, qua Septemtrionem respicit minus extollitur, adeout aquilonaribus ventis, magis quam cæteris aditum concedat, quibus flantibus, atmosphæram cum omnibus contentis de loco in locum transferri affirmat Musschembroeckius, [*a*] atque aerem ab inquinamentis expurgari, testatur Fridericus Hoffmannus; [*b*] *Orientalium* [ait cl. Auctor] *atque septemtrionalium ventorum ea est natura, ut non modo expansiva & elastica sua vi tetra effluvia dissipent ac disiiciant, sed & dum animantibus vigorem, robur, ac motum afferunt, & circulationem sanguinis ac transpirationem promovent, impediant quo minus noceant*.

XX. Pluries me audivisse memini ab aliquibus viris, philosophicis in rebus parum versatis, cœlum illud non omnino incolume dici posse, quod serotinis accedentibus horis humidum fit, larga satis copia defluentibus, ut

---

(a) *Elem. phys. cap.* 41. §. 1350.
(b) *Med. rational. syst. tom.* 2. *pathol. gen. part.* 2. *cap.* 4. §. 25.

ut vulgo, quamquam inepte ajebant, *i cre-puscoli*. Verum enimvero an ex hujusmodi defluxu benigna aëris temperies labefactari queat, sagacioribus viris judicandum relinquam, haud ignorantibus humiditatem illam, proprio auræ serotinæ nomine venientem, populis quoque communem esse, qui optimi aeris beneficio fruuntur. *Cum enim Tellus*, docente Boehaavio, (*a*) *a solaribus radiis calefacta, millies diutius quam aer calorem retineat, ex ejusdem superficie vapores exhalare pergunt a Solis æstu commoti, etiam aere frigescente ab ejus occasu:* non igitur ab aeris imperfectione, sed a Sole potius magis minusve terram irradiante, major vel minor auræ serotinæ copia repetenda est. Quod quidem a veritate alienum non esse confirmat uberior vaporum defluxus, qui in Regionibus etiam saluberrimo aere ditatis contingit, eo præsertim tempore quo solares radii, magis ad perpendicularem lineam accedentes, diutinè terram percutiunt.

XXI. At plus justo me loquutum fuisse videor ut Brandelii aeris incolumitatem ostenderem; nam absque eo quod philosophicas rationes in medium protulissem, satis erat dixisse tam hujus oppidi incolas, quam alios quamplurimos, qui illic domicilium

C po-

(a) *Elem. chem. pars. alt. pag. m. 234.*

posuerunt, nullo antehac tempore morbis tentatos fuisse, quibus potissimum obnoxii sunt, qui locos infesto aere scatentes inhabitant.

XXII. Quæ hactenus dicta sunt ad pseudophilosophi sententiam confutandam sufficiant. Ad propositum nunc opus revertar.

XXIII. Ut facilius epidemicarum febrium Brandelii incolas infestantium origo innotescat, necesse erit animadvertere morbosam hujusmodi constitutionem æstiva primum præteriti anni 1752. tempestate insurrexisse, cum è maritimis quibusdam locis, præsertim autem Orbitellanis, aliquot hujus oppidi accolæ ad patriam reverterentur, febre quadam correpti, qua plurimi (ut ipsi retulerunt) Orbitellii, atque adjacentium locorum habitatores detinebantur. Ab eorum igitur reditu hæc eadem febris primò comparuit, ac per totum hyemale tempus in aliquibus, etsi paucis, perseveravit, donec nova anni 1753. æstate accedente, ægrotantium multitudine adaucta, magis in illos sævire incæperit, atque epidemicæ constitutionis naturam acquirere.

XXIV. Intente itaque causa exploranda est quæ in antedictis maritimis oris febres accendebat, cum eadem ipsa in Brandelii Oppido, enarrati generis morbum excitaverit. Illa autem non tam ab aeris insalubritate,

quam

quam a pravo ciborum, & potus delectu pendebat: quemadmodum enim optimæ qualitatis aer [ut Boyleana demonstrant experimenta] in sanguinem pertransit, eique arctissime commiscetur, ut humorum fluiditati, solidorum oscillationi, totius denique humanæ machinæ motibus, atque secretionibus promovendis conducat; ita idem infectus, ut causa procathartica, frequentissimus morborum auctor evadit. Circumambientis autem aeris vis, atque actio quanta sit in corporibus, Boyleana prædicta tentamina luculentissime ostendunt, absque eo quod ipse in eadem referenda inanem laborem suscipiam. Frustraneum dumtaxat non erit aerem rationis examini subiicere, cum a salubri statu recedit, ut facilius morbi naturam, & causas dignoscamus.

XXV. Si nimium gravis & ponderosus existat aer, cutis meatus, & præcipue pulmonum canales comprimendo, propellenti cordi resistit, itaut humorum motus præpediatur: quod si è contra subtilissimus & levissimus sit, minori gravitate ponderando, humores in vasis dilatat, pneumonicas vesiculas rarefacit, sanguinemque ipsum, ut aliquando respiratio sistatur. Aer nimis calidus mobiliores particulas dissipat per Sanctorianam perspirationem, aliasque vias, atque lentiores aggregat, itaut exsiccatis vasculis

ſanguis, cogatur: diminutis vero partibus aquoſis, ſpirituoſis, volatilibus, corpora Salino- terrea, tenacia, craſſiora, exuſta, augentur, accumulantur, uniuntur, & in maſſas irreſolubiles adunantur; ita redditis humorum particulis, præ primis nervoſum genus non minus afficitur, quam obſtructiones, areſcentiæ, inflammationes, morbi acuti cum intemperata ſiti, atque depravatis coctionibus generantur. Ab aëre gelido ſicut in ſolidorum fibris contractiones, tenſioneſque augentur, ſic in humoribus condenſatio, conſtrictio, coagulatio: hinc obſtructiones, & inflammationes in pulmonibus; hinc a concreta lympha tuſses, coryzæ, catarrhi, gangrænæ, ſufflaminatæ perſpirationes, dolores ad articulos, ſcorbutus, torpores, paralyſes, enaſcuntur. Ab eodem nimis humido, ſolvitur fibra, & laxa, imbecillisque redditur, præſertim pulmonalis: ſerum proinde in pectore retinetur, creſcit, cumulaturque, perſpiratio prohibetur, hinc tuſſes, & pulmoniæ lymphaticæ, diarrheæ ſeroſæ, torpores, & febres, hinc ægritudines a ſeroſa colluvie procedentes.

XXVI. Reddunt aerem deſcriptis modis inſalubrem, variæ in eodem a nativo coelo communicatæ qualitates, variæque mutationum viciſſitudines. Proprietates, & mutationes communicant coelum, coelique motus,

ſo-

ſolum, flumina, lacus, ſtagnantes aquæ, paluſtres loci, flantes venti, foſſilia, bitumina, meteora, fodinæ, cryptæ, foſſæque, a quibus impura effluvia, majori, minorique efficacia in aerem advecta, eique permixta dum in corpora agunt, ſeſe explicando morbos producunt.

XXVII Ex antedictis colligere poſſumus epidemicas febres Orbitellium, atque proximas eidem oras ideo infeſtaſſe, quia impura omnis generis corpuſcula aeri permiſcebantur; loca etenim illa ſtagnantibus aquis, ac putreſcentibus, propter imum eorumdem ſitum ſcatere, multoties audivi ab iiſdem Orbitellii, adiacientiumque locorum habitatoribus, ad Lucenſes Thermas crebro accedentibus imperfecta valetudine detentis; Elapſo autem anno morboſæ influentiæ anſam dediſſe referebant & ipſi Brandelii ægroti, immoderatus æſtivus calor, auſtrina conſtitutio, ſimulac annonæ caritas, atque inſalubrium aquarum potatio. Et quidem iſta ſingula, licet ſeorſim agentia, epidemicis morbis producendis aptiſſima forent; magis vero in unum collecta.

XXVIII. Stagnantes aquas ex motus privatione putreſcere (extrinſecus ſcilicet corruptionis cauſa accedente) cuilibet notum eſt; ex illis vero, præſertim a ſolis æſtu commotis, erodentes particulas Salino-ſulphureas, foeti-

foetidas, & veneficas in atmosphæram sublevari, certo scimus: ita pariter insectorum ovula, & vermiculos ex iisdem prodeuntes observavit Lancisius, (*a*) qui rectissime hujusmodi effluvia in organica, qualia sunt insecta, & inorganica, salia scilicet & Sulphura complectentia, subdivisit. (*b*) Ante illum vero, antiquissimi, non secus ne peritissimi Medici, veritatem hanc agnoverunt. Varro etenim [*c*] morbosæ cujusdam labis causam insectorum copiæ tribuit his verbis: *Advertendum tamen est, si qua erunt loca palustria, & propter easdem causas, & quod arescunt, crescunt animalcula quædam minuta, quæ non possunt oculis consequi, & per aera intus in corpora per os, & nares perveniunt, atque efficiunt difficiles morbos*. Et juxta Varronem cecinit Lucretius

------ Obnoxia cuncta putrori
Corpora, putrores insecta animata sequuntur.

Idem prorsus sentire videtur Boerhaavius dum scribit: (*d*) *Stagnorum aqua longe ponde-*

(a) *De nox palud. effl. lib. 1. part. 1. cap. 16. num. 11.*
(b) *Loc. cit. part. 1 lib. 1 cap. 12. pag. 37.*
(c) *De re rust. lib. 1. cap. 12.*
(d) *Elem. chem. part. alt. pag. 307.*

derosior est pura naturali; unciæ namque duodecim illius, dum pura excipiebantur patina vitrea, exhibebant plurimos vermes, insecta, varia animalcula &c. Palustres vero aquas salibus erodentibus, & causticis abundare, colligi potest ex plantis, quæ in ipsis enascuntur, virulentam, & acrem naturam plerumque possidentibus.

XXIX. Quemadmodum aer, ut superius probavimus, in humani corporis fluidas, & solidas partes permanat, ita morbosa effluvia (saltem quæ propio pondere cum aëris particulis specificè æquilibrantur) eodem sanè modo introduci existimandum est; cumque copioso caustico sale & ipsa insecta imbuta sint, vehementi rosione, ac stimulo partes solidas inflammando, atque spasmodice contrahendo morbosas affectiones excitare.

XXX. Nondum quidem statuta via est, per quam impura miasmata ad internas corporis partes pervadunt, Auctoribus ipsis, etsi gravissimis, longe hac in re dissentientibus. Probabilior attamen sententia videtur non tantum per cutis meatus, quam per ventriculum, ductusque chiliferos a ciborum assumptione; magis vero inspirationis ope per pulmonum substantiam, non secus ac per aures, & nares in corpus penetrare. Nemo profecto inficiari opinor, aerem, una cum

ha-

halitibus ab eodem contentis, per cutis foramina ad ſanguinem introire, tunc præſertim cum atmosphæra effervefcente, magis patula fiunt, malignis particulis introducendis aptisſima. Hippocrates veritatem hanc agnoviſſe videtur, quandoquidem carnes humani corporis *attractrices* apellavit; (*a*) atque ſolertisſimus Boerhaavius illam ſequentibus verbis confirmat: (*b*) *ſed & venæ ſubcutaneæ pari apparatu factæ, vaſculis minimis in exteriora patentibus, in ſe deſinentibus, nihil exhalantibus, extrinſecus inſinuatos liquores accipiunt, ac lymphæ tenuiſſimæ, aquoſæ primo, dein hinc lymphæ ſenſim craſſiori, ſero poſtea, tandem denique ipſi ſanguini, miſcent: ut multa, & certa experimenta docent.* Topicorum inſuper uſus, mercurii præcipue, cujus effectus interdum eſt ptyalismum promovere, evidentiſſime demonſtrant externorum corporum penetrationem per cutis foramina, eorumdemque cum ſanguine permixtionem.

XXXI. Non minus patet effluvia cum alimentis permixta in humanum corpus permeare. Id autem inde manifeſtum evadit quod Hippocrates inquit [*c*] *omnia, quæ eduntur, ac bibuntur ſpiritus in Corpus inferunt, ali-*

(a) *Lib. 6. epid. ſect.* 7.
(b) *Inſtit. Medic. de æcon. anim.* §. 421.
(c) *Lib. de Flatib.*

aliquando plures, *aliquando pauciores*: hinc plurimæ eructationes ab assumpto cibo, vel potu accidere solent, ab incluso aere distendente progenitæ: hinc stabulantium vermium origo, qui nisi frugi aere scaterent intestina, utique perirent, Boyleana machina idipsum luculentissime demonstrante, dum in ea contenta insecta moriuntur, statim ac aere orbata fuerint.

XXXII Faciliorem autem lethiferis corpusculis in atmosphæram consperfis ad sanguinem aditum pulmones concedunt, quemadmodum opinati sunt cl. viri Boerhaavius, (*a*) Muschembroekius, (*b*), & Halesius, (*c*) atque ipsa nos edocuit experientia a celeberrimo Suammerdamio primum comprobata, ut refert Bartholinus: (*d*) *Jam experimento apud Suamerdamium observavimus aerem per follem in Canis adhuc vivi pulmones adactum, tandem cor, ejusque vasa aperte subire*. Nec ab hujusmodi Auctorum sententia cordatissimi viri recedunt, opinantes aerem inspiratione attractum, sanguinem sequi in circuitu suo, atque exspiratione iterum extra corpus eliminari. (*e*) Vallisnerius autumat

D

(a) *Inst. Medic. de oecon. anim.* *. 78.
(b) *Elem phys.* § 1110. *pag. m.* 476.
(c) *Hæmast. append. exp* 6.
(d) *Epist. Med. tom.* 4. *pag.* 448.
[e] *Ettmullerus Tom. I. pag.* 1312.

mat in animatis corporibus peculiares tubos adesse aerem ubicumque distribuentes, Chamæleontium exemplo fretus, in quibus hujusmodi tubulos aëre repletos adinvenit. Ex piscium quoque pulmonibus aer ad ventrem pertransiens vesicam replet, cujus dilatatione illorum corpus levius efficitur, cum cæteroqui ab ejusdem constrictione ponderosius evadat.

XXXIII. Per ductum etiam narium Stenonianum, non secus ac per nervorum propagines, quibus abundè interior nasi membrana consperfa est, infecta miasmata suscipiuntur, ut asseruit cl. Fridericus Hoffmannus; [a] *nulllum est dubium* [*ait*] *quin per poros nervosis etiam partibus sese insinuent cum humiditate effluvia, quoniam ab odoribus salubribus, & insalubribus, & robur & vigor, & omnium motuum perversio contingere potest, hystericarum exemplo*. Lucas Tozzi aliquos describit sine victu vitam protraxisse, refocillantibus tantum, atque spirituosis pharmacis per nares attractis; [*b*] & ipsa demonstrante experientia didicimus, tam in vera syncope, quam in cæteris defectionibus, ab expositi generis remediis plurimum juvaminis percipi.

XXXIV. Aurium quoque meatus, simul ac

(a) *Med. syst. tom. 2. part. cap. 4. §. 23. schol.*
(b) *Comment. in Hipp. Aph. lib. 2. aph. 17.*

ac aëri pro auditus ſenſatione concinanda, perniciofis etiam efluviis patent; Ab impurorum autem corpuſculorum in eoſdem ingreſſu, nervea non tantum per ductum auditorium, atque per tympani membranam diſſeminata filamenta convelluntur; verum per foramen illud primum a Rivinio (*a*) deinde a Munickio, [*b*] & Valſalva, [*c*] deſcriptum, in os primum, exhinc in pulmones perducuntur. (*d*) Idem pariter prorſus

---

(a) *Diſſert. de aud. vit. fig.* 1. *&* 2. *litt.* 6.
(b) *Lib. de re anat.*
(c) *De aur. hum.*
(d) *Foramen illud in ea parte tympani ubi chorda ſita eſt, & manubrium mallei capitulo ſuo jungitur, ſtatuit cl. Rivinius. Alii vero Anatomes ſcriptores alio in loco ſitum eſſe animadvertunt, inter quos Cheſeldenus affirmat (in Anat. prim: edit. cap. de aure) membranam tympani eo in loco ubi circulus oſſeus integer non eſt, exiguo quodam hiatu adapertam eſſe, atque valvula tectam. Aperturam autem hujusmodi fruſtra inveſtigaſſe fatentur Ruyſchius, & Heiſterus (in not. ad Comp. anat. pag. m.* 340.) *Illam attamen niſi in ſingulis ſaltem in aliquibus reperiri, opinatur idem Heiſterus (ibid. pag.* 41.) *in iis præcipue qui tabaci fumum a fiſtularum ſuctione in ore receptum, per aures emittunt. Ipſe ſiquidem, ut vera fatear, una cum erudito conſocio Carolo Zanellio Mutinenſi, fruſtra ela-*

sentire videtur Hoffmannus, cum scribat: [a] *Adsunt deinde foramina in auribus, quæ membranis glandulosis, & nerveis cincta sunt, per quæ aer effluviis refertus ingreditur.*

XXXV. Jam vero ex antedictis plane constat ab impuris halitibus per atmosphæram dispersis, humana corpora subeuntibus, morbos excitari. Reliquum modo est ut inquiramus, quomodo ex insalubri victus methodo perfecta valetudo destruatur, cum inordinata quoque æsculentorum ingestio, non secus ac pravus illorum delectus, morbi ejusdem, quo Brandelii accolæ corripiebantur, cum Orbitellianis degerent locis, in causa fuerit.

XXXVI. Recte quidem Hippocrates (*b*) morbos partim ex diætis, partim ex spiritu quem attrahimus fieri pronunciavit; singula enim

elaboravi in hujusmodi meatus perquisitione, dum Romæ in Lateranensi Archinosocomio praxi medicæ operam darem, cl. viro Antonio Leprotto, tunc temporis Benedicti XIV. Pontificis felicissime Regnantis Archiatro, de ejus investigatione nos urgente. Eodem ferme methodo & nos usi fuimus, quo cl. Rivinius utebatur, setarum videlicet porcinarum introductione in tympani membranam; verum eadem non sine aliqua resistentia ubicumque perforabatur.

(a) *Med. Syst. tom* 2. *part.* 2. *cap.* 4. §. 23.

(b) *Lib. de Nat. hum.* §. 18.

enim animantia, si aêre orbata essent, æqueac alimentis, & potu, vitam utique conservare, multo minus sano, ac integro corpore esse nequirent: idipsum vero contingere animadvertimus, licet corpus nutriatur, a nimia quippe ciborum ingurgitatione æque ac ab inedia morbi fiunt, magis autem cum esculentis, & potulentis insalubribus utimur prava qualitate refertis.

XXXVII. Cum ipse ex Brandelii ægrotis crebro sciscitarer de illorum victus qualitate, atque assumendi ordine, cum Orbitellium, orasque adjacentes incolerent, hoc idem semper audiveram, panem ex fabis, & frumento turcico confectum, simulac ex castanearum farina pultem, cocta legumina, pisces sale conditos, & fumo præsertim exsiccatos, comedisse; cujus quidem generis alimenta, viscida, terreaque substantia compacta, ad crassum sanguinem progignendum, minimosque canales, & meatus obstruendos, idonea sunt.

XXXVIII. Patebit igitur febrium istarum epidemicarum causam ab acri, atque erosiva humorum indole, nimioque solidarum partium spasmo repetendam fore, si aerem tam causticis organicis, quam inorganicis corpusculis onustum spectabimus. Non minus vero ex glutinosa, impura, obstruente humorum constitutione ortum habuisse

buisse intelligemus, si errata in victus regimine sedula attentione perscrutabimur,

XXXIX. Obstructiones tunc fieri autumat Boerhaavius, (*a*) *cum obturatur canalis transitum tollens liquido per eum transijciundo, vitali, sano, vel morboso, ex excessu molis transiturae supra capacitatem vasis transmissuri*. Binas hujusmodi causas in aegrotantibus nostris adamussim concurrentes animadvertimus, morbosam scilicet crassitiem sanguinis transituri aequeac angustata vasorum diametra, per quae sanguinei globuli transmitti deberent a caustico nempe contenti fluidi stimulo praeter modum contracta. Expositis causis membranarum quoque sanguifera vasa constituentium inflatio addenda est; stagnante enim sanguine in minimis vasculis illarum substantiam irrigantibus, atque distendente, majorum canalium cavitas arctabitur, quorum membranas mirabili vasculorum minimorum textura conflatas esset jam evidenter demonstravit cl. Ruyschius (*b*).

XL. Facta igitur in extremitate canalium sanguinem deferentium remora, & obstructione, vel in illis etiam primi generis dictis, rubros quandoque globulos admittentibus, crassissima pars stagnabit, atque haerebit, hinc quo major congestio, eo vehementior

(a) *Aph. de cog. & cur. morb.* § 107.
(b) *Epist. anatom. probl. tab.* 3. *fig.* 1. 2. 3.

tior reliqui ſanguinis impulſus a tergo comprimentis, eo velocior ejusdem motus, frequentior arteriarum, & cordis pulſatio, unde febris. Obſtructione vero adaucta, ſanguinei globuli ſtagnando, ſphericam figuram amittunt, hinc inflammatio; quæ ſine obſtructione, & febre numquam eſſe poteſt, non autem viceverſa.

XLI. Morboſam iſtam conſtitutionem primò excitatam diximus dum aliquot Brandelii incolæ ex Orbitellianis oris ad patriam reverſi ſunt, eadem febre correpti, quæ loca illa, e quibus diſceſſerant infeſtabat. Tunc profecto aliquibus communicari viſus eſt morbus iſte, domeſticis præſertim, qui aerem ab ægrorum halitibus coinquinatum inſpirabant; ita aliquas tantum domos occupavit per integrum hiemem, quo quidem tranſacto, ac æſtiva tempeſtate ingruente latius graſſari cæpit, magiſque in ægros ſævire. Nec latet ratio cur morbus exacerbatus ſit, atque languentium numerus adauctus; ſcimus etenim æſtivi caloris ope cutis foramina ampliari, per quæ morboſa miasmata in aere contenta facilius introducuntur, non minus ac a patefactis ægrotantium corporum meatibus erumpunt. Hac eadem de re, diminutis in corpore particulis aquoſis, volatilibus, concretoque ſanguine, in arteriarum finibus ſtagnationes fiunt, & febres

bres asperioribus symptomatibus stipatæ accenduntur.

XLII. Cum de febrium epidemicarum Brandelii pagum infestantium natura, & caussis satis jam actum sit, reliquum est ut methodum exponamus, qua in illarum curatione utebamur. Illa autem non in singulis ægrotantibus eadem fuit, cum varius illorum status similia remedia prorsus in omnibus neutiquam exposceret. Ægrotantibus noviter morbo correptis, ut sanguis extraheretur imperabam, sedula prius diligentia illorum ætate, atque corporis constitu-tione perscrutata, itaut si eadem, æqueac morbi veheementia indicaret, ad tertiam quoque, quartamve vicem saluberrimum istud remedium iterari juberem. Idem vero sanguis figulino vasculo exceptus, spumescens, ad coagulum valde tendebat propter seri deficientiam, coccineo colore tingebatur, atque oculis immissus acriter mordicabat.

XLIII. Ubi initio morbi ægrotantibus vena secabatur, enarrata superius magis perniciosa symptomata vel omnino non apparebant, vel ocyus evanescebant; quod quidem haud contigisse animadverti ab extracto sanguine in morbi incremento, tunc præsertim cum aliqua imminente crisi, humorum motus perturbaretur. Maxime vero per-

perniciosam deprehendi phlebotomiam in febribus colliquativis, & diaphoreticicis a cl. Francisco Torti descriptis, (*a*) simulac in exanthematum eruptione, ac febrium paroxismis, ut cl. quoque Fridericus Hoffmannus adnotavit. (*b*) *In morborum, & febrium paroxismis, atque exacerbationibus, venæ sectio non sine periculo instituitur*: & parum infra: *ita & quandocumque extrema frigent, vel interni calores, & anxietates agrum exagitant, admissa vena sectio symptomatum vehementiam non modo acuit, sed & mortis periculum arcessit*. In hoc igitur remedii genere imperando cautus incedebam, pluries quidem Chirurghi cujusdam audaciam execratus, quod medico inconsulto sanguinem educeret, atque catharticos bolos propinaret, non sine ingenti ægrotantium detrimento, atque curantis Medici dedecore, in quem facillime imperitorum errata vertuntur: Merito idcirco scriptum reliquit doctissimus Baglivus: (*c*) *Si alicubi certe in medicina, multa scire oportet, & pauca agere, præsertim dum ad curationem morborum, vel nimis acutorum, vel complicatorum descendimus*.

XLIV. Sanguinis extractione peracta,

(a) *Therapeut. special. lib. 3. capit. 1. pag. m. 124.*

(b) *Med. rat. systemat. tom. 3. sect. 2. cap. 9*

(c) *Prax. med. lib. 2. cap. 11. §. 10.*

vel prout res poſtulabat iterata, electuarium lenitivum ſummo mane ægrotis propinari curabam, cui hydrargirum ad ſcrupulos duos circiter permiſcebam, ab lite tamen, ne fortaſſe, ſi ab ejus aſſumptione ægrotantium res male ſe haberent, innocens iſtud remedium a medicis eidem averſantibus culparetur. Lenientes hujuſmodi bolos indiſcriminatim ægrotantibus ſingulis exhiberi jubebam, iis tantummodo exceptis, qui narium hæmorrhagia, vel cruento alvi fluxu infeſtabantur; mobiliſſimi etenim mercurii globuli, reſerata jam ſanguiferorum orificia magis ampliando, turbas augere potuiſſent. Camphorata idcirco pharmaca, diluentia, atque anodyna enemata hujusmodi ægrotis præſcribebam, opiatis pænitus interdictis, ne fortaſſe cæteræ ſecretiones, quæ natura moliri poterat, præpedirentur; prætérquamquod per nares hæmorhagia, ut ſuperius innuimus, quandoque ſalubris extiterat, hinc minime cohibenda videbatur, niſi excedens fuiſſet, aut ab illa ægrotantium res in pejus abiiſſent. Si contraindicantia iſta ſymptomata ceſſaſſent, febris vero adhuc perſeveraſſet, eadem methodo illos tractabam, qua in cæteris curandis utebar, quamque inferius exponam. Sana interim corpora ab inſultu febrium defendebam accenſis ignibus, ſuffumigiis, non ſecus ac opportuna ab ægrotantibus ſeparatione.

XLV.

XLV. Numquam vero ſatis admirari deſinebam purgantium prædictorum operationem, cum æque languentibus iis juvarent, quibus alvus ſtypticus erat, ac cæteris ſimul qui moleſtiſſima diarrhæa vexabantur, in his porro a propinato mercuriali leniente frequentes alvi dejectiones ſedabantur, vermibus, aliquando, aut irritante mucoſa materie expulſa: in illis vero ter, quaterve inteſtinorum ſordes ad exitum provocabantur, itaut ab hoc tantum remedio, ſimulac a frequenti, ac larga diluentium potatione, atque clyſmatum uſu aliquos viderim priſtinæ valetudini reſtitutos. Quos vero ægrotantes ab adhibitis hiſce remediis neutiquam ſanare contigerat, iis corticem, peruvianum ad drachmam unam, cui hydrargiri ſcrupulum permixtum erat, propinari curabam, partitis vicibus, itaut, quarta quaque hora hujus mixturæ ſcrupulum, per diei ſpatium æger deglutiret, repetita ut plurimum ad tres dies eadem doſi, quibus tranſactis, febris aliquando evaneſcebat: quod ſi adhuc perſeveraſſet, idem pharmacum eouſque aſſumendum fore ſuadebam, donec penitus febrilis fomes propelleretur; quod in aliquibus (viris præſertim cachectico habitu præditis) tardius eveniſſe adnotavi, quotidie quamvis melius ſe haberent.

XLVI. Hac autem methodo non ſingu-

los languentes pertractabam; in aliquibus enim febris ad acutiem, & continuitatem ita celeriter properabat, tantaque erat morbi ferocia, ut merito suspicari posset de ægri interitu, si novæ accessioni aditus concederetur. Hoc igitur in casu tres ejusdem corticis drachmas, totidemque mercurii scrupulos unica dosi exhibere oportebat, quo sane modo læthalis novæ febris ingressus præcavebatur, atque iterata per dies aliquot, matutinis tantum horis, exigua mixturæ dosi, febris omnino profligabatur, & arcebatur recidiva.

XLVII. Nec est quod quispam Cortici peruviano plusquam hydrargiro, febrifugam virtutem tribuere velit, in falso etenim supposito versaretur; haud profecto pauca tantum trium drachmarum corticis oblatio, ad perniciosarum febrium curationem sufficeret, ut satis testatur vir cl. Sydhenam (*a*) qui ad uncias tres, quatuor, & ultra, in curandis febribus usurpat; non minus ac cl. Torti (*b*) qui pariter corticis oblationem ad drachmas sex, unica dosi, necessariam existimat, ut in perniciosis febribus superventura accessio præpediatur; quin scriptum reliquit doctissimus Auctor in ejusdem usu perseverandum esse, quousque æger uncias duas corticis

(a) *Lib. 1. cap. 7.*
(b) *Therapeut. special. lib. 3. cap. 3.*

cis in ſubſtantia integras aſſumpſerit. Cum autem noſtrorum ægrotantium aliqui a mercurialis tantum boli aſſumptione convaluerint, eorum vero quamplurimi, quibus tantum tres corticis drachmæ exhibitæ ſunt, a febre immunes evaſerint, neque nemo toto morbi decurſu integram ejus unciam devoraverit, Mercurio potiſſimum triumphi gloria tribuenda eſt.

XLVIII. Inficiari attamen non auſim, Corticem peruvianum ad febres periodicas vel remittentes ſint, vel intermittentes ſubigendas, maxime opportunum eſſe; at quoniam eodem utentibus non ſemel noxam attuliſſe compertum ſit, itaut merito culpetur ab his, ab illis e contra laudetur; in eo propterea præſcribendo valde circumſpectus incedo, cum experientia pluries jam edoctus fuerim ægrotantibus obfuiſſe, utut neque præpopere, nec inſueta doſi, ſed methodo plane a cl. Torti commendata exhibuiſſem. Et quidem perſæpe a Corticis oblatione febres exacerbari, etſi vero profligentur pervicaciores morbos exſurgere obſervamus, aſſiduos ſcilicet mærores, aſthmata, anorexias, dyſenterias, rheumata, obſtructiones, cachexias, hydropes, tabem, & mortem ipſam. Hac profecto de cauſa, ægrotantibus noſtris infidum iſtud remedium non propinabam, niſi Mercurio correctum,

cum

cum illorum viſcera craſſis, atque ſtagnantibus humoribus infarcta eſſent; moniti non immemor cl. Friderici Hoffmanni, cui tamquam ſapientiſſimo controverſiarum Judici inter cl. Torti, & Ramazzinum circa Corticis uſum exortarum, pleniſſimam fidem ſemper adhibui: ſcriptum enim reliquit (*a*) *Nocet China china Cortex in febribus, quando corpora ſunt plethorica, primæ viæ multis cruditatibus obſeſſæ, & viſcera infarctus, & ſtagnationes occupant*. Idipſum ſequentibus verbis confirmat ſolertiſſimus Boerhaavius [*b*]. *Si autem febris autumnalis vehemens; corpus ex ægritudine, debile; morbus jam aliquo tempore duravit; neque ſigna adſint internæ inflammationis; neque collecti alicubi puris; neque obſtructi admodum hujus illiusve viſceris, Cortice peruviano abigetur.*

XLIX. Conta Corticis uſum invehit quoque cl. Gerardus Van Svvieten (*c*) Baglivus (*d*) Ettmullerus [*e*] Stahlius (*f*) Junkerus

(*a*) Mal-

(a) *Opuſc. Med. pract. diſſert. 21. de medicam. inſecur. & infid.*

(b) *Aphor de Cognoſc. & curand morb.* § 767.

(c) *Comment. in Herman. Boerhav. aphor* §. 663. *in fin. pag. m.* 378.

(d) *Lib. de fibr. motr.*

(e) *Tom.* 2. *pag. m.* 277. & 558.

(f) *Opuſc. phyſ. med pag.* 432.

[*a*] Malpighius [*b*] Lemery (*c*) Daniel Grugerus [*d*]; & in actis quoque publicis Lipsiensibus; [*e*] uti in ephemeridibus Curiosorum naturæ; (*f*) infaustis a propinato Cortice successus leguntur.

L. Pharmacum autem istud præfata incommoda afferre posse, veluti experientia demonstrat, ita ratio suadet; si enim ejus componentia cum cl. Lemery scrutabimur, salino-spirituosis partibus ablatis, terrea principia magis quidem in illo abundare conjiciemus. Non mirum igitur si terreæ istæ Corticis reliquiæ extremitatibus vasorum sanguinem deferentium facile adhærescentes, pervicacissimos morbos ab obstruente hujusmodi infarctu progenitos producant.

LI. Quod si persæpe a Corticis assumptione febris evanuit, nec proinde ægrotantium res in tuto collocatas vidimus, quin potius uno vel altero die transacto febrilia symptomata asperiorem tyrannidem exercuere, id accidisse existimandum est, quod salino-spirituosæ Corticis particulæ, celeri quidem mo-

tu

(a) *Consp. med. theor. pract. pag. 261. & seq.*
(b) *Cent. Consil. cons. 97*
(c) *Cors. di Chim. part. 2. cap. 6.*
(d) *Ephemer. Germ. dec. 3. an. 3.*
(e) *Ann.* 1701.
(f) *Ann.* 1703.

tu in ſanguiferis vaſculis excurrentes, ſtagnantes ſanguineos globulos in vaſorum extremitatibus attenuando, atque incidendo, progreſſivæ eorumdem circulationi fuerint adjumento: Febris ea propter ſublata eſt, nec redivit acceſſio, quouſque ſanguis volatilibus Corticis partibus extitit imbutus; dum vero eædem cum ſanguineis ſimul ſtagnantibus globulis, qui jam ad circuitum apti ſunt redditi, ex arteriarum finibus in venarum oſcula pertranſeunt, terrea Corticis ſubſtantia, quæ in anguſta vaſorum extrema ingredi non valet, iterum illa obſtruendo, aut febrium recidivam parit, aut rebellibus alterius generis morbis fores aperit, niſi provide præcaveatur. Quando autem febres a Corticis oblatione fugatas vidimus, absque eo quod ægri in morbum reciderint, merito tunc opinari poſſumus, eorum viſcera (præſertim Hepar) immunia ab infarctibus eſſe, ſimulque cor, atque ſanguifera vaſa tali elaſticitate donata, nt valida ſiſtole contentum humorem ad extremitates canalium propellant, itaut teretes quoque Corticis particulæ infringantur, atque comminuantur, ſicque ex conicis arteriarum finibus in venarum orificia aditum ſibi parent; quod aliquando non autem ſemper evenire deprehendimus.

LII. Si velocitati qua terrea Corticis ſubſtantia movetur, dum in vaſis majoribus una

cum

cum sanguine circulatur, prospiceremus; difficile profecto de subdola illius actione dubitandum foret; ea præsertim de causa, quod dum ex corde propellitur, duplo fere celeriori motu gaudeat sanguine ipso: cum etenim specifica ejus gravitas sanguine ita levior sit, ab eoque differat, veluti nonagesima quarta quantitas a centesima trigesima secunda, (*a*) consequens erit ut citius quam sanguis a propellente cordis vi in circulum agatur: ex mæchanicis enim motus legibus percipimus, motus quantitatem a quantitate materiæ pendere corpus hoc, vel illud constituentis; ex quo intelligimus cor-

 po-

(a) *Cum specificum Corticis atque sanguinis pondus, utraque materia in eodem vitreo vasculo excepta, non semel ad trutinam exploraverim, non quidem ejusdem semper gravitatis humanum sanguinem sub eodem volumine acceptum deprehendi, adeout qui ab uno corpore extractus erat, idem ac ab altero effusus, pondus retineret; sed variis in corporibus ejusdem gravitas varia erat. Cum vero sanguis quo ad ista tentamina peragenda utebar, ex ægrotantium vena extractus fuerit variis laborantium morbis; ponderis iccirco discrimen num a dissimili penderet corporum constitutione (ut res se habere videtur) num vero ab alterata morbidorum humorum natura curiosioribus judicandum relinquam.*

pora, utut mole similia, diversimode ab eadem potentia moveri, si inæquales materiæ partes contineant. Momentum ergo motus in Corticis molecula erit ad momentum motus in sanguinis particula, ut pondus Corticis ad pondus sanguinis est. Quod attamen Cortici minime favet, ut primo intuitu videtur, quin potius ex eo tardior ejus progressus, atque ad obstruendum aptitudo demonstratur. Imminuitur quippe semper magis Corticis motus, ea præsertim de causa, quod sanguinis particulæ motum a cordis imimpulsu acquisitum diutius retineant. Docent enim hydraulicæ leges, retardationes particularum ejusdem molis, varii autem ponderis, ab eadem vi in eodem fluido trajectarum, esse in ratione inversa densitatum. Quæ igitur particulæ sanguine leviores erunt, minori motus momento, quæ graviores majori celeritate excurrent. Non tamen id sufficit, ut remediorum actionem in humoribus explicemus, illorum enim vis non tam a pondere, quam a mole præcipue, coherentia, ac figura particularum eorum substantiam constituentium desumitur; alioquin plantæ ex. gr. cæteraque medicamina specifico pondere æquilibrata, eosdem producere deberent effectus, quod ferme absurdum foret affirmare.

LIII. Tuto Corticem exhibere poterimus,

mus, febres hinc cito, & jucunde expulsas videbimus, absque eo quod recidivas, aut alterius generis morbos ab ejusdem oblatione paveamus, si Mercurio permixtum propinabimus. Tunc quippe Salino-spirituosarum Corticis partium actio in reserandis vasculorum diametris, mercurialium mobilissimorum globulorum ope accedente, non modo actuabitur; sed terrea insuper Corticis substantia, vel quidquid aliud obstruendi vi præditum, quod deside mora in arteriarum finibus stagnet, solventissima simul atque penetrantissima Mercurii facultate penitus comminuetur. Hac autem methodo servata peruvianus Cortex tutius poterit propinari, atque febres facili negocio curabimus, ut in epidemica ista Brandelii constitutione luculenter jam experientia demonstravit, non paucis quidem, sed multiplicibus exemplis: notabam etenim plusquam biscentum hujus Oppidi incolas toto morbosæ influentiæ decursu ægrotantes, eadem ferme methodo pristinæ valetudini restitutos, absque eo quod illorum nemo postquam convaluerit, novo aliquo morbo tentatus fuerit, aut fœdo saltem colore, vel aliquo alio invaletudinis signo sanitatem minus firmam indicaverit. Eodem ferme modo Coloniolæ pagus infestabatur anno, ni fallor, 1751. cum ex Nobilium virorum Sanitati consulentium mandato, ægrorum cu-

rationi deſtinatus fui. Ibidem tamen nec tanta aderat languentium multitudo, nec febribus lethalia illa ſymptomata hærebant, quæ iſtas comitabantur. Earum curationem hydrargirum expoſito modo propinatum, fæliciter abſolvit, nec tamen ab ejusdem uſu quicquam accidit, quod remedii præſtantiam deturparet. De mirifica nihilominus ejus virtute in febribus iſtis profligandis, diſſertationem conſcribere, ac illam prælo committendo evulgare non placuit priuſquam iteratis experientiis methodum iſtam confirmatam agnoverim.

LIV. Audio attamen Mercurialium facultatum detractores plenis buccis intonantes: omnium pater tempus, abſconditas denique deteget inſidias: temporis progreſſu ſubdolam Mercurii virulentiam detectam videbimus, cum miſeri ægrotantes remedio iſto curati, diros ejusdem effectus experientur. At repetant quæſo pertimeſcentes hujusmodi Viri a cl. Moreali quot uſque adhuc Mercurius morti tradidit Rhegienſium Civium, qui pluribus ab hinc annis cum epidemice ægrotarent, remedium iſtud, prædicto conſulente doctiſſimo Viro, aſſumpſere? Repetant a cl. Schreibero qui in Ukraniæ peſtis curatione Mercurio feliciter uſus eſt. Repetant a Florentinæ Accademiæ effulgentibus luminaribus Antonio Cocchio, atque

Jo-

Josepho Bertino (*a*) rationalis Medicinæ restauratoribus, atque empiricæ Sectæ destructoribus, quibus literaria Respublica tantum debere scimus: repetant, inquam, quot ægri eorum curationi commissi, atque Mercurio tractati hucusque periere? Eruditissimorum Virorum Johannis Bellostii, Sebastiani Rotarii, Cajetani Pasquali Josephi Valdambrini, atque Martini Ghisi rationibus & experientiis objiciant, si queant. Prædictorum quidem sapientum de Mercurio scripta legi non modo, sed memoriæ mandari merentur, cum firmissimis doctrinis ratione, atque experientia comprobatis abundent.

LV. Quod si horum scriptis Mercurii antagonistæ non acquiescant, cæteros Auctores adeant, quos inter non desunt gravissimi, qui remedii hujus usum laudibus non tantum conati sunt extollere, verum ad morborum quamplurimorum debellationem commendare. Ita cl. Fridericus Hoffmannus hoc de Mercurio scriptum reliquit (*b*) *Neque inficiamur hoc remedii genus magnæ esse in chronicis rebellibus quibusdam passionibus, præsertim*

(a) *Doctissimus iste Vir ægrotantium non modo, verum & propriam valetudinem Mercurii usu tuetur, ut ejus epistola testatur sub hujus diatribæ finem adjecta.*

(b) *Opusc. Med. pract. dissert. 21. de medic. insec. & insid.*

tim in gallica lue efficacia, *neque minoris in vermibus expellendis*, *vel intermitttentium contumacia expugnanda virtutis existere*. Antifebrilem quoque, doctiss. Auctor Mercurio virtutem tribuit; remanet ergo ut ejus actionem in expellendis febribus scrutemur, quam quidem non vermes tantummodo enecando, aut perfanando, ut cl. Moreali autumat, exercere credendum est. Verum de hoc infra.

LVI. Contra sententiam meam pronun-ciasse aliquibus fortasse videbor, cum cl. Hoffmannum in testimonium vocaverim, citato qui adamussim loco Mercurium inter insecura pharmaca reponit. Id vero neutiquam obesse deprehendemus, si animadvertamus dissertationem istam de infidis medicamentis ab Auctore exaratam fuisse, non eo animo ut talia quæ inibi pharmaca recenset, a remediorum cætu prorsus excluderet, verum ut Medicis, tyronibus præsertim, illa præscribendi modum, atque propinandi opportunitatem demonstraret, simulac indicantia, vel contraindicantia, quæ illorum usum, aut permittunt, aut respuunt. Mercurium non modo; sed & simpliciora quæque remedia officere persæpe contingit, nisi justa dosi, debitisque cautionibus præscribantur: ita cl. Auctor in paragrapho secundo ejusdem dissertationis vinum non modo, sed

ſed aquam etiam officere poſſe autumat, ſi liberalius hauriatur, dum corpus a motu æſtuat &c. Non abs re igitur Mercurius indomito Equo aſſimilatur, ab amenti, vel puero manuducto, cum idem quoque, niſi a prudenti manu dirigatur, & ægri corpus, & Medici æſtimationem auferat; id quod de quocumque pharmaco affirmari poterit, debitis cautionibus haud propinato.

LVII. Magnus Boerhaavius videtur quoque hydrargirum ad febrium propulſionem commendaſſe, aperientium enim mineralium uſum ad illarum curationem proponit: [*a*] inter aperientia vero mineralia quid præſtantius mercurio? Laudatus idem Auctor aperientem virtutem in eo minime deſiderandam oſtendit, cum ejusdem uſum in obſtructionum curatione commendet. (*b*) Quam innumerabilis ſit morborum caterva qui ab obſtructione dependent, cl. Haller dicit, qui in commentariis ad Boerhaavium (*c*) ſcribit: *Ab obſtructione oriuntur morbi chronici plerique*: & addit, *obſtructiones, quatenus obſtructiones ſunt, ſanantur omnes Mercurii viribus*. Hinc elegantiſſime cecinit Sextus Lucilius in prima,

Ad-

(a) *Aphor. de cognoſc. & curand. morb.* §. 758.
(b) *Loc. cit.* §. 135.
(c) *Tom. 6. pag.* 317.

Adſit, qui phialæ ventri ſublimis adhæſit,
Duplex Mercurius vulcano inſtante; rebellem.
Nam morbum irretit morborum Protea, ut olim,
Sontem Japetitem Scythica ſub rupe ligavit.

LVIII. Contra hydrargirum nihilominus alias jam, at nuper anno 1747. invehit Excellentiſſimus Laurentius Cajetanus Fabbri, qui antiquiſſimam græcam doctrinam renovando, illud audacter *venenum* appellat, *humano corpori ſemper infenſiſſimum*; nec ab eo diſſentit animadverſionum quarumdam in Mercurium doctiſſimus Auctor, quas, Anonimi Accademici velamine tectus, Lucæ edidit anno 1751. Ita Viri iſti [doctiſſimi quamtumvis, atque ſolertiſſimi] contra tot cordatiſſimorum Authorum Mercurii uſum approbantium ſententiam, quin prope dicam contra ſingulos hujus ætatis Medicos, qui hydrargirum ſaltem pro anthelmintico, atque antivenereo præſcribunt, ſentire haud verentur, axiomatis immemores, *major pars ad ſe minorem trahit*. Præter ſuperius etenim recenſitos Auctores, febrifugam in Mercurio vim agnoverunt Andreas Libavius, (*a*) Fer-

(a) *Syntagm. Art. Chim. c.* 13.

Fernelius (*a*) Lentilius, & Cramerus (*b*) Petrus a Castro (*c*) Ballonius (*d*) Ramazzinus (*e*); & ante illos hydrargiri vires in morbis quamplurimis profligandis cognitas fuisse reperio Johanni Berengario Carpensi, atque Johanni de Vigo, qui versus finem quarti Sæculi eo uti cæperunt: ac de eo (cum perfida quedam mulier suppositum istud venenum marito propinasset) olim cecinit Ausonius [*f*].

Toxica zelotypo dedit Uxor moecha marito
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti lethalia pondera primo
Cogeret ut celerem res geminata necem.
Prodest crudelior Uxor - - - - - - -
Et ut fata volunt, bina venena juvant.

LIX. Mercurio itidem usi sunt in morborum curatione Brasavola, Sennertus (*g*)

G Mu-

(a) *In 2. de abd. rer. caus. c. 14. & de Lue Ven. c. 7.*
(b) *Miscell. Med. pract. part. 1.*
(c) *De Febr. mal. pag. 184. & 226.*
(d) *1. 2 epi. pag. 131.*
(e) *De morb. Art. cap. 2.*
(f) *Epigr. X.*
(g) *Op. med. de merc. act.*

Musitanus (*a*) Heisterus (*b*) Baglivus (*c*) Lemery [*d*] Chesneau (*e*) Mayerne [*f*] Muys (*g*) Nuchius (*h*) Catanius [*i*] Nicolaus Massa (*k*) Vedelius (*l*) Poterius [*m*] Huxhamius (*n*) Astruc (*o*) Gilbertus Anglus [*p*] Ettmullerus (*q*) Pitcarnius (*r*). In horum quidem Auctorum, non secus ac in recensitorum operibus Mercurium commendatum legimus in doloribus rheumaticis, atque ischiadicis, in arenularum mictione, in podagra non inveterata, in amaurosi, atque ophtalmiis, in hydrope non confirmata, in quibusdam epilepsiæ speciebus, in amentia, cæphalalgia, vertigine paralysi, apoplexia, in

(a) *Peg. l. 4. c. 3.*
(b) *Comp. Med. pract. cap. 16. §. 38.*
(c) *Prax med. lib. 1. pag. m. 66.*
(d) *Corf. di Chim. cap. 8.*
(e) *Obs. Med. lib. 3. cap. 8.*
(f) *De artr. bibl. med. t. 1. pag. 163.*
(g) *Prax. Med. chir. p. 294.*
(h) *De Salivat. p. 33.*
[i] *De morb. gall. pag. 145.*
(k) *De morb. gall. pag. 85.*
(l) *De medic. facult. p. 209.*
(m) *Obs. cent. 2. c. 43.*
(n) *Obs. de aer. & morb. epidem.*
(o) *De morb. vener.*
(p) *Comp. tot. medic. Lugd. 1510.*
(q) *Colleg. chim. cap. 5.*
[r] *De ingr. morb. qui ven. lues appell. vulg*

in variolis, colica, hypocondriaca affectione, hydrophobia, scabie, corpulentia nimia, verminosis affectionibus, gallico morbo, strumis, atque recentibus scyrrhosis glandularum morbis, cæterisque ab obstructione pendentibus: cl. vero Johanes Huxham (*a*) Mercurialia sine stimulo salino præparata in pleuritide, ac peripneumonia plurimum prodesse scribit. Cur igitur in cæteris viscerum inflammationibus non æque juvare poterunt? Tam in his, quam in enarratis morbis Mercurialia pharmaca opitulari posse intelligemus, si eorum causas, non secus ac modum, quo Mercurius in humano corpore agit, examinabimus.

LX. Eruditissimi Anonimi theoria circa Mercurium etsi ab exactissimis hydraulicæ legibus desumpta, neutiquam tamen probare videtur fossile istud *semper perniciosum esse* ut idem Auctor existimat; multo minus ratione sui ponderis, aut sublimationis in corpore fluidas partes inficere, atque solidas destruere, tunc præsertim cum per minima lymphatica vascula, aut nervorum filamenta pertransit, quæ quidem ut ut exilissima, membranarum attamen gaudent dilatabilitate, atque expansione, eorum rupturæ resistente. Supponimus enim hydrargiri globulos per

G 2 eos-

(a) *In obser. de aer. & morb. epidem.*

eosdem tubulos parva quidem copia, atque seorsim permeare, novis scilicet succedentibus, cum jam antegressi in reducentem vasculum transiere; tametsi vero specificum, idem pondus quater decies sanguine majus retineant, cum illo attamen citius in minimis vasculis moveantur, ibidem morari haud poterunt, sed exilissimi, atque mobilissimi, excretoria tubulorum diametra, ut ut infarcta, & obstructa, reserabunt; minor siquidem erit clausi orificii resistentia, sicuti major illa est parietum vasculorum. Mercurius iccirco infarcientis humoris transitum per tubuli o orificium facilius poterit perennare, quam tubulorum membranosas, atque dilatabiles patietes abrumpere. Hac igitur ratione Mercuriales globuli, vel in revehentium venularum orificia pertranseunt, vel per tenuissima exhalant cutis foramina, ut clare satis deprehendere quisque poterit, si aurum hydrargiro utentium cuti admovebit, albo etenim colore tinctum inspiciet, quod luculenter ostendit, per Sanctorianam præcipue transpirationem, ab ejusdem usu morbosa semina eliminari.

LXI. Si Mercurius pondere suo officeret, non minus argentum id efficere deberet, quod humano sanguini pondere comparatum, est veluti decima tertia quantitas ad unitatem. Attamen quamplurimos Auctores

in

in curatione morborum Lunæ crhyſtallos, atque ejusdem tincturam propinaſſe ſcimus; [a] atque ab iisdem, recentivs vero a cl. Lemery (b) valdopere commendatum legimus ejus uſum in hydrope, ſimulac in morbis cerebri paralyſi præſertim, epilepſia, atque apoplexia, ſicuti etiam in febribus malignis, ſinguliſque morbis quibus diaphoretica conveniunt. Magis autem aurum humanæ machinæ noxium experiremur, cum ejus gravitas ad illam ſanguinis ſit veluti decima nona quantitas ad unitatem, nihilominus Avicenna [c] illud in ſuis temperamentis appellat æquale, atque ejus limaturam laudat in oculorum morbis, in Melancholica affectione, cæteriſque triſtibus animi pathematibus. Matthiolus quoque (d) aurum ad ſanitatem conducere autumavit, atque vitale robur conſervare, itaut voluntarie, aut involuntarie deglutitum numquam noceat. Schroderus (e) varias auri præparationes deſcribit, at-

(b) *Donzell. Teatr. Farmaceut part. 1. dell' arg.*
Poterius pharmacop. ſpagyr. cum not. Hoffmanni cap. xv. pag. m. 405.
Baccius de therm. lib. 6. cap. 8. & ſeqq.
Schroderus Pharmacop. med. chim. lib. 3. c. 10.
(b) *Corſ. di Chim. cap. 2. pag. 93. e 98.*
(c) *Lib II. Suor. Canon.*
[ ] *Lib. V. in Dioſc. cap. 69.*
(e) *Pharmacop. Med. Chim. lib. 3. c. 9.*

atque eorumdem præſtantiam in morbis curandis oſtendit. Ettmullerus aliquas auri præparationes inter pharmaca diaphoretica, antiepileptica, & inſtaurantia recenſet (*a*) Poterius in pharmacopæa ſpagyrica deſcriptionem magiſterii auri præbet; & Hoffmannus (*b*) aurum alvum laxare, maxime ſi non fuerit dulcoratum, tenacem pituitam incidere, torminibus, ac Infantum epilepſiæ conferre, affirmat; cl. Pitcarnius etiam dum agit de ingreſſu venereæ luis, hæc ſcribit: *Si aurum atteratur (& atteri poteſt (in partes adeo parvas, ut earum ſuperficies, habita ratione molis, tantæ ſint, quæ reddant partes illas aquæ levitate pares, & innatare ſanguini aptas; morbi hi auro, quam Mercurio tutius, atque citius ſanabuntur*. Lemery quoque diaphoreticam auro facultatem tribuit, & illam explicat. (*c*) Recentiores tamen Medici minerale iſtud magnifaciunt, & libenter accipiunt, minime autem ægrotantibus ſuis præſcribunt; hinc ejusdem præparationes apud Pharmacopolas fere jam obſolevere, non quidem, opinor, ea de re quod introſumptæ nimio pondere lædant, ſed quia earum uſui ægrotantium domeſtici haud facile ſe accommo-

(a) *Comment. d. Dan. Lodov. tom. I. pag.* 203

(b) *Annot ad Poter. pharmac. ſpagy. lib. I. ſect. 9. pag. m* 351.

(c) *Corſ. di Chim. part.* 1. *cap.* 1. *pag. m.* 79.

modent, conſcii videlicet, quod viliori pretio efficaciora pharmaca comparantur.

LXII. Quemadmodum doctiſs. Academicus Mercurium opinatur officere ob nimium ejusdem pondus, ſanguinis gravitatem quater decies exſuperans, eo ipſo quo foſſile iſtud minus ponderabit, innocuum evadet; Poſſumus vero leviſſimum efficere, atque ejus gravitatem ad illam ſanguinis redigere, repetita ſublimatione: Mercurii profecto dulcis bis ſublimati gravitas, erit ad illam ſanguinis veluti duodecima quantitas ad unitatem; ter ſublimati, veluti nona; ſicque quo pluries ſublimabitur, eo magis ad ſanguinis pondus accedet; attamen quo magis ſublimatur, eo magis quoque ad rarefactionem diſponitur, itaut efficacius actiones ſuas in corporibus exſerat.

LXIII. Statuendum igitur Mercurium pondere ſuo ſolidas humani corporis partes deſtruere numquam poſse, dummodo tamen illæ gangræna, aut ſphacelo corruptæ non fuerint, quo quidem in caſu morbo pejus, remedium foret. Serio igitur curanti Medico, hydrargirum ejuſque præparationes propinanti animadvertendum eſt num adſit gangrenæ periculum, vel aliquid aliud curationem per illud, ut ajunt, contraindicans, ut epilepſia v. gr. quam vocant *ex inanitione*; nervorum morbi ab infarciente materia minime

de-

dependentes; hæmoptyſis cæteræque ſanguinis hemorrhagiæ; interna vulnera; aneurismata; calidus ſcorbutus; inveteratæ ſcyrrhoſæ obſtructiones, cancroſæ præſertim; quas quidem ſingulas affectiones Mercuriii uſus exaſperat, potius quam curet.

LXIV. Objiciunt præterea Mercurii Antagoniſtæ, pondere non tantum, foſſile iſtud humana corpora lædere, verum & quia introſumptum ſublimatur, atque eroſivam naturam adipiſcitur. Sententiam autem hanc labantibus fundamentis innixam eſſe, demonſtrat cl: Martinus Chiſius, (*a*) cumque ad illam confutandam nil exoptandum ſuperſit, quod a doctiſs. Auctore excogitatum non fuerit, ejusdem iccirco verba ad Lectoris comoditatem transcribere fruſtraneum non erit. „ Dunque il Mercurio dentro di „ noi ſi ſublima; e corrode? Ma io domando al Sig. Antagoniſta come definiſca queſta ſuppoſta ſublimazione, e da qual i effetti voglia miſurarla. Se egli riſguarda „ la ſalivazione, che il Mercurio ſuole agevolmente eccitare, perche, come opinano li volgari, dallo Stomaco, ſe ingojato, „ o da altre parti del corpo noſtro, ſe applicatovi, a foggia di vapore ſi alzi, e monti „ alle fauci, e vi ſi fiſſi; io mi farò lecito di „ ri-

(a) *Lett. M.d. di var. mal. Cur. col Merc. nella prefaz.*

„ ricordare al N. A., che tutti quanti i valenti Medici insegnano, che il Mercurio, „ usisi internamente, o esternamente, s' introduce nel sangue; che alle glandole salivali viene portato per via di circolazione; e che il fenomeno del ptialismo è opera veramente meccanica.

„ Se poi col Lemery pensa il Sig. Fabbri, che abbia a sublimarsi in noi il Mercurio, perche egli è un Alkali volatile, e nel sangue nostro vi sono delli acidi; mi permetta che io ora gli nieghi la prima, per non fargli poi buona neppur la seconda di tutte e due queste proposizioni.

„ L' Argento vivo da a divedere le sue particelle sempre sferiche; messo in bocca, nell' occhio, o sopra qualche piaga non reca pizzicore, e non offende punto; esposto all' aria umida non si squaglia; unito col sugo di limone, o con altri somiglianti acidi non bolle, nè da segni d' effervescenza; non fa divenir verde lo Sciroppo violaceo; lasciato nell' acqua bollente non da indizj di sal volatile alkalino; e per fine non è niente acre, e pungente. Effetti tutti, che certamente non stanno coll' azione dell' Alkali, così appellato dalla gran somiglianza, che corre fra esso, e l' erba Kali, piena zeppa di acerrimo sale; checche ne dica rispetto agli Assorbenti, ed

H al-

„ altri Teſtacei il Lemery, (*a*) che Alkali„ ci gli vuol riputare, ſenza che, a ſuo pa„ rere, vi ſia biſogno di credere, che vi ſia „ di queſto ſale Alkali di dentro. Ma forſe „ mi opporrà l' Antagoniſta; tutti queſti ſpe„ rimenti non conchiudono nulla contro l' „ idea dell' Alkali, mentre non è a noi ap„ parente, ma occulto l' Alkali del Mercu„ rio. Io a queſta objezione do la riſpoſta, „ inſegnatami dal rinomatiſſimo Sig. Allero, „ [*b*] risguardo all' Alkali della bile: *Et ſi dicas, quod ſape dictum eſt, bilem non apertum quidem, ſed occultum eſſe Alkali, tum vero id dicis, bilis, eſt aliquid, quod non eſt.*

„ L' altra propoſizione è: che nel ſan„ gue vi ſono degli acidi, o molte volte „ vi poſsono eſſere.

„ Così appunto opinarono quaſi tutti „ gli Scrittori del paſſato Secolo, e parec„ chi ancora del noſtro, maſſimamente ne„ gli anni addietro. Ma il N. A. ſaprà pure, „ che le ipoteſi, ed i ſiſtemi loro ſono iti a „ terra, ſenza poter piu rialzare il capo, „ toſto che anno dovuto ſtare al confronto „ d' infinite ſperienze, ſcortate da peſati ra„ ziocinj, e da ſode cognizioni di ſperi„ mental Fiſica, di cui la miglior parte è „ la Chimica. Però ſenza che io mi eſten„ da

(a) *Corſ. di Chim. cap.* 8.
(b) *In Inſtitut. Boetha. tom.* 1. *p.* 225.

„ da soverchiamente su questo punto, lo
„ prego, se non fosse contento della censu-
„ ra succinta, fatta a' suoi scritti da i più
„ volte citati Signori Giornalisti, a voler
„ compiacersi di leggere le opere del *Boile*,
„ *Baglivo*, *Pitcarnio*, *Menagè*, *Boon*, *Kokburn*,
„ *Allero*, *Van Swvieten*, e d' altri non po-
„ chi i quali a mille prove gli faranno co-
„ stare, che nel sangue non si da acido as-
„ solutamente. E se ei non volesse la briga
„ di veder tanti Autori, s' informi (e lo
„ può fare con tutta facilità) delle sperien-
„ ze fattesi in Firenze l'anno 1737. appun-
„ to nello Spedale di S. Maria nuova intor-
„ no al sangue umano, di cui mi ricordo,
„ che il Direttore di quella doviziosissima
„ Spezieria coll' assistenza di altri degni, ed
„ oculati Soggetti, fece l' analisi chimica, e
„ altri sperimenti, ma in vero senza ritro-
„ varvi acido di alcuna sorta.

LXV. Supponit denique cl. Academicus in hydrargiro corrodentes, atque acidas particulas latitare, facile ab eo discedentes, si vasculum idem excipiens diutius agitetur, tunc enim pulvis quidam cinericio colore refertus in ejusdem superficie apparebit, mercurio neutiquam similis, sed longe diversus, ut ab ejus actionibus elicitur; nam si linguæ, oculis, vel absterfis ulceribus imponatur, causticam naturam ostendit. Id vero cum expe-

rientia constet, inficiari non debet pulverem scilicet istum a commoto hydrargiro separari; videndum tamen num revera virulentus sit, ac ex mercurii tantum particulis conflatus, quod non ita facile concedendum, priusquam res attentissimo examini subjecta fuerit. Doctissimus Bertini [*a*] sapienter quidem opinatus est, in humano corpore pulverem illum secerni numquam posse, ob minorem scilicet motus quantitatem, neutiquam illæ respondentem, quam a vasculo commoto recipit hydrargirum: addit insuper, fossile istud non tantum a motu, quam ab aeris attritu fortasse variari. Rationes autem istas, quantumvis gravissimas, cl. Academicus insubsistentes appellat, [*b*] eorum autem insubsistentiam minime demonstrat dum scribit „ Imperciocche se
„ si anderà calculando l' impeto impresso continuamente nel minerale da i replicati colpi del Cuore, e dell' Arterie, ed altre cose, che concorrono a scuoterlo, e dibatterlo sempre nel corso della circolazione, sarà cosa facile il ritrovare maggior moto di quello, che possa acquistare dall' essere egli sciolto, in una boccia, e pendente dal pestello della Gualchiera. Quis autem non intelliget hydrargirum vehementius

(a) *Discors. dell' ius. inter. ed ester. de Merc. p.* 43.
(b) *Cap.* 8. §. 3. *in fin.*

